

Joannes Dantiscus electus episcopus  
Varmiensis, Tidemannus Gise electo Cul:  
mensi.

48

Reverendissime domine frater et amice cha:  
rissime ac observandissime. Salutem amoris:  
que mei plurimam commendationem. Ab  
hac appellatione, qua merito cum dominatio:  
ne vestra reverendissima ago, non me con:  
tinebo, quemadmodum hoc à me in literis  
suis, quas heri nocte Jacobus meus mihi  
retulit, dominatio vestra reverendissima pe:  
tit, quandoquidem eodem me titulo, quam  
primum maiestas regia presentationem,  
quam iam etiam dominatio vestra rever:  
endissima habet, ad me miserat, dignata  
est, et deinde omnes qui ad me ex regno  
scribere solebant. Ferat ergo non indigne  
quod pro rei dignitate dominationi vestre  
reverendissima tribuitur.

Excusationem quam pro se, et venerabi:  
li capitulo fecit, libenter admitto, angustia  
temporis utrinque congratulationes, publicasque  
gratiarum actiones, ut ea more et re conve:  
nit, impedivit, quod tamen commode, post:  
quam ex nostris comitibus, quibus non si:  
ne causa dominationem vestram reverendis:  
simam cupiebam interesse, rediero, fieri po:  
terit, tanque tempus, ut postulat, domina:  
tioni vestre reverendissima significabo. Quod

princeps ille phanaticus cum suo Aiace ar-  
git, nihil vel me, vel dominationem ve-  
stram reverendissimam movere debet, con-  
siliium nobis resque locusque dabunt. Ri-  
sum tum reprimere non potui illorum  
legens de urso insaniam, quam pulchre  
in loco protulisse se sunt arbitrati. Prin-  
cipi rescripsi, sed vix credo illum ulli me-  
as ostendisse literas.

Decretum postulationis, et literas do-  
minationis vestrae reverendissime unâ cum  
regiis, quas spero me non gravate du-  
plicatas ut vocant habiturum, opera Geo-  
rgii Hegel fuggarorum factoris mittam  
ad urbem in manus Domini Theodorici,  
cui scribam, de eoque praesertim, quod ad  
expeditionem dominationis vestrae reveren-  
dissime pertinet, ut diligenter perquirat,  
quantum recentes mei praedecessores pro  
confirmatione impenderint. Ego coactus fui  
ad integram taxam septingentorum ducato-  
rum, ut in annalium habetur libro, tan-  
tundem et reliqua fere expeditio consistit,  
insigniterque mihi in eo iniuria facta est,  
â qua ut dominatio vestra reverendissima  
asserat, eam amabo.

Cum transsumpto literarum regiarum  
cum capitulo meo sic agam, quod et o-  
tis dominationis vestrae reverendissime fieri  
satis posset, et maiestati regis ius patro-

natus

natus et gratia nobis integra conservaretur.

De auro et nuntio Romam mittendo inter nos ut colloquatur necesse est, pecunia tamen, quibus mille aurei possint conflari, ad me quum rediero mittantur, aut per dominationem vestram reverendissimam adferantur, inveniatur à me modus ut pro eis aurum haberi possit.

De Hosio non potui reverendissimo domino Cracoviensi assensionem negare, cuius missi instrumentum, scripturus quae oportuna videbuntur, fore sperans, quod dominatio eius reverendissima rationibus meis nota instrumentum retinebit. Rescripsissem dominationi vestrae reverendissimae uberius ad omnia, nisi iam colligenda sarcinula me abstraherent, iamque paratus ad iter, hac si potero hora, sex abhinc milliaria ad curiam meam Blowgse discedo, cras Deo bene favente Graudentium ingressurus. Excusabit itaque me dominatio vestra reverendissima fratribus meis, maxime autem Domino Felici, cui ad eius amantissimas literas in ea celeritate rescribere non potui. Omnia quae Cracoviam et ad urbem à me sunt scribenda, hac ventura nocte aggrediar. Servitor noster dominus Nipsicæ salutem et inserviendi propensionem dominationi vestrae reverendissima offert, rogatque ut si Bernardus famulus eius ad nos venerit, pecuniamque

niamque in mutuum peteret, ne quid illi  
credatur, imo quod equus, qui meus est re-  
tineatur, non se enim gessit, ut fide sit  
dignus. Dominationem vestram reverendis-  
simam diutissime optime valere opto, si  
quid rescribendum videbitur, huc ad fratrem  
meum mittat literas, qui curabit, ut ad  
me perferantur. Ex Lubavia die vigesima  
octava Septembris, anno Domini millesimo  
quingentesimo trigesimo septimo.